

XII.

I con es Pictae

P l a n t a r u m r a r i o r u m,
descriptionibus et observationibus illustratae

auctore

Jacobo Eduardo Smith, M. D.

S. S. Reg. Lond. Ulissip. Taurin. Agron. Paris. Botanoph. Andegavens. nec non Acad.
Delphin. Socio, Soc. Linn. Lond. Praeside.

Fasciculus I. *)

P r a e f a t i o.

In praefatiuncta nostra, Plantarum iconibus, cal. April. 1789. evulgatis praemissa, lectorem monui, me animum iconibus, ad plantas exsiccatas Linnaeano aliisque herbariis conservatas et nondum delineatas, adumbrandis, imprimis adjuncturum fore; et profecto illud opus tales solummodo amplecti volo. Veruntamen novae plantae, numerosae admodum, rarae etiam et speciosae, queis horti Anglici hodie scatent, jamdudum labores botanici doctioris, ne longa nocte oblivionis obiectae lateant, sibi vindicaverunt. Meque ideo huic operi aliquid subsidii ferre ardor impulit Dom. Sowerbeii, qui cum certe inter peritissimos rerum botanicarum pictores habeatur, haud modico quidem desiderio flagravit in se suscipiendo opus studio suo et virtute dignum. Neve equidem socio memet adjunxitsem, nisi cui, sive de veritate sive de pertitia res agatur, plenissime fidendum fuerit.

Hujusce igitur operis institutum est, icones dare maxime fidendas, elegantia spectabiles, plantarum apud nostrates vivarum, quae hactenus parum innotuerint, aut iconibus nondum ornatae sint: nec non iisdem descriptiones scientificas addere. Rarissimae solummodo pulcherrimaeque plantae locum hoc opere invenient. Descriptio systematica, si quid de historia aut oeconomia memoratu dignum sit, amplectetur. Porro autem quo nostrum opus quam utilissimum fiat, etiam his qui parum literis Graecis et Latinis imbuti fuerint, descriptiones separatim, cum in lingua Latina cum vernacula dedi, adeo ut qui velit ex hoc vel illo fonte scientiam hauriat, neque pretio supervacaneo cogatur ambos comparare.

In

*) Londini typis J. Davis, Impensis auctoris; et prostat venalis apud J. Sowerby, Mead Place, qui Specimina exhibebit: B. Whithe et Filium, Fleet Street; J. Johnson, in Coemeterio S. Pauli: T. Edwards, Pall Mall; et — Darton, Gracechurch Street. 1790.

In Anglicis descriptionibus ad normam immort. Linnæi consciendis, malū libere loqui (nonnunquam etiam Latina quaedam verba, quasi voces technicas retinens), quam fide nimis religiosa verbum de verbo reddere; cautus ne inconsultus in sermonem incidet, cinctutis Cethegis vix auditum, elegantiae et perspicuitatis vacuum. Sunmopere quidem optandum est, ut indocti in consuetudinem cum sermone classico scientifico, quasi blanditiis allecti, adducantur; adeo ut denūm docti indoctique sensim invicem accedant, et cum eandem scientiam excolant, iisdem utantur vocibus.

Praefens opus plantas staturae plerumque grandioris sistit. Alterum mox prodibit, quod minores adhibebit, quibus scilicet pagina breviori, ad partes necessarias exponendas, opus fuerit. Dabam Londini Cal. Octobr. 1790.

PASSIFLORA lunata.

GYNANDRIA Pentandra.

CHAR. ESSENT. Trigyna. Corolla decemida. Nectarium radiis coronatum.
Bacca pedicellata.

Sectio 2. Foliis bilobis.

PASSIFLORA foliis bilobis punctatis basi subcordatis biglandulosis, nectarii radiis exterioribus compresso-clavatis obtusis.

Passiflora biflora. Cavan. Diss. de Passifl. 457, t. 288.

— punctata Hortulanorum.

Granadilla folio lunato, flore parvo, albo; fructu succulento ovato Houstouni.
Marty. Ic. rar. 52. ex auctoritate speciminis in Herb. Banks.

Angl. Crescent-leaved Passion-flower.

Ad Verum Crucem, Mexico, legit Houstoun, qui et Horto Chelseaño misit. „In Iamaica invenit Gul. Wright, M. D.“ Aiton Hort. Kew. Figura nostra ad exemplarium ex Horto Chelseaño delineata est. Toto anno floret in caldario D. Salisbury, Allerton in Comit. Eboraceus. H.

FRUTEX cultus altitudine pedes triginta superat.

RADIX ramosa-fibrosa.

CAULES plures, basi lignosi, teretiusculi; superne acutanguli, striati, fere herbacei;
laeviusculi, cirrhis seudentes, alterne ramosi, foliosi.

FOLIA alterna, petiolata, patentia, basi obsolete cordata, biloba. lobis valde divaricatis, elongatis, integerrimis, obtusis, apice setula armatis (porro setula media inter lobos sita est); venosa, lacte viridia, persistentia, superne laevia,
inferne subglaucescentia, utrinque inter venas majores linea punctorum mellerorum notata.

CIRRHI axillares, simplices, spirales, longissimi, glabri.

FLORES axillares, bini, pedunculati, nutantes, mane expansi, odore mellis.

PEDUN-

PEDUNCULI petiolis duplo longiores, uniflori, teretes, apice incrassati, levissime pubescentes, articulati.

BRACTEAE tres, minutae, setaceae, infra articulum, subsparvae.

CALYX nullus, nisi bracteae pro calyce habendae sint.

COROLLA basi planiuscula, monopetala, profunde decemfida, albida, laevis; laciniis oblongo-ovatis, obtusis; quinque exterioribus rudioribus, extus viridibus; interioribus angustioribus brevioribusque.

NECTARI CORONA EXTERIOR radiis circiter triginta, corolla paulo brevioribus, compresso-clavatis, luteis; media radiis capillaribus, longe brevioribus, viridis: intima monophylla, plicata, truncata, fossulam nectariferam arcte obducens, viridis.

GENITALIA corollam aequantia, laevis.

Columna cylindrica, crassiuscula, alba.

Filamenta alba. Antherae luteae.

Germen ovale, obsolete trigonum.

Pistilla recurva. Stigmata obtusa.

FRUCTUS bacca; nondum vidi maturam.

Observationes.

Descriptio Passiflorae punctatae (non vero differentia specifica) in Linn. Syst. Veg. ad nostram pertinet plantam, tum etiam observatio in Mant. p. 492., sed haec obscura et erronea neque cum MS. neque cum planta convenit.

Passiflora punctata ex icona et descriptione Feuillei dignosci potest. Hinc profecto descripsit Linnaeus plantam aequa ipso ac mihi invisam. Nuper in horto regio Parisiensi florentem vidi ac depinxit Cel. Cavanilles.

ANTIRRHINUM reticulatum.

DIDYNAMIA Angiospermia.

CHAR. ESSENT. Calyx pentaphyllus. Corollae basi deorsum prominens, nectarifera. Capsula bilocularis.

Sectio 3. Foliis alternis.

ANTIRRHINUM foliis linearibus canaliculatis sparsis: furculorum radicalium subquinis, calycibus hirsutis, pedunculis bracteis brevioribus.
Angl. Reticulated Toad-flax.

In Algiria legit peregrinator indefessus Renatus Louiche Desfontaines, hodie Botanices Professor Parisii, qui et horto regio Parisiensi misit. Hinc, favente amicissimo Thouino, semina ejus accepi, quae in horto Cheljeano, solitis adbitis optimi Fairbairnii curis, laete germinaverunt, ac flores perbellos primo anno (1788.) tulerunt. 24.

RADIX perennis, ramosa, fibrosa.

- CAULES herbacei, erecti, ramosi, foliosi, teretes, glauci, glabri. Surculi radicale plures, decumbentes, foliosi, breves.
- FOLIA caulina sparsa, linearia, obtusiuscula, integerim, canaliculata, nuda, glauca; surculorum radicalium breviora, obtusiora, verticillata, plerumque quina, subinde quaterna vel sena, rarius ad basin alterna. Stipulae nullae.
- FLORES racemosi, caulem ramulosque terminantes, versicolori, valde speciosi, inodori. Pedunculi alterni, simplices, breves, uniflori, erecto-patentes, hirsuti et subviscosi. Bractae solitariae ad basin pedunculorum, patentes, longitudine pedunculi cum calyce, lanceolatae, hirsutae, margine subinde membranaceae.
- CALYCIS foliola inaequalia, lanceolata, acutiuscula, carinata, margine membranacea, extus hirsuta, subviscida, persistentia.
- COROLLA calyce triplo longior. Calcar subconicum, acutum, parum incurvum, pedunculo duplo longius, pallide flavum, striatum. Labium superius erectum, bifidum; laciniis acutis, diaricatis, striatis, ante explicationem purpureis, dein sanguineis, postea violaceis, dorso pubescentibus pallidioribusque: inferius breve, trifidum, lacinia intermedia minore, sanguineum. Palatum magnum, bilobum, aureum, lineis sanguineis pulcherrime reticulatum, extus laeve, intus linea dupli villorum per faucem decurrentiam notatum.
- STAMINA inclusa, per paria approximata, albida, laevia. Authorae flavae.
- PISTILLUM. Germen parvum, didymum, laeve. Stylus longitudine staminum, laevis, apicem versus parum incrassatus, persistens. Stigma bifidum, acutum.
- CAPSULA didyma, glabra, pallide fusca, bilocularis, calyce brevior.
- SEMINA numerosa, parva, angulata, nigra, superficie corrugata.

Observationes.

Pulcherrima planta facile multiplicanda. Flores tantopere colore ludunt, ut nec verbis nec arte pictoria per omnes mutationes exprimi queant.

Haud facile est differentiam specificam solidam patefacere inter hanc et duas Linnaeanas species, pariter foliis verticillatis in surculis radicalibus munitas, A. junceum nempe et viscosum. Differentias sequentes praecepue observavi. A. junceum aliis duabus speciebus longe minus est: tota planta fere glabra, bracteis glabris, pedunculo triplo brevioribus; ejusdem calyx levissime pubescens; corolla flava, palato aureo; folia in surculis radicalibus terna; vix plura. A. viscosum plantam nostram quam maxime resert facie, nec non hirsutie calycum et peduncularum, satis tamen, ni fallor, distinguitur pedunculis filiformibus cauli adpressis, bractea duplo longioribus, ne dicam corollis (ut videtur) totis fulvis. Hanc speciem in Herbario Linnaeano, nec vivam, vidi. Notandum est, quod figura nostra, e planta juniori facta, surculum radicalem haud satis, ut folia verticillata conspiciantur, expansum exhibet.

EUPHORBIA punicea.

DODECANDRIA Trigynia:

CHAR. ESSENT. *Corolla* 4- five 5-petala; *calyci* insidens. *Calyx* monophyllus, ventricosus. *Capsula* tricocca.

Sectio 6.. *Umbella quinquefida.*

EUPHORBIA umbella quinquefidia: trifida, involucellis ovalibus acuminatis coloratis capsulis glabris, foliis obovato-lanceolatis.

E. punicea. Swartz. Prod. 76.. Aiton. Hort. Kew. V. 2. 143..

Angl. Scarlet Spurge..

In Iamaica, perpare tamen, legit vir generosus Matthaeus Wallen, qui Nobilissimo Marchioni de Rockingham anno 1778 ipsam misit stirpem, quam apud viduam Marctioniam pulchre vidimus florentem et depingi curavimus. H.

CAULIS humanae altitudinis, fruticosus, subcarnosus, lactescens, teres, determinate ramosus. Rami adscendentes terni: ramuli subinde quaterni vel quini: *Cortex* laevis, albidus, e cicatricibus foliorum jampridem deciduorum depresso-punctatus, vel maculatus.

FOLIA in summitatibus ramolorum, conferta, subsessilia, undique patentia, obovato-lanceolata, obtusiuscula, mucronata, laevia, opaca, atro-viridia, subtus glaucescentia; juniora involuta, prope umbellas colorata. *Nervus* principalis in omnibus fulvus, in junioribus ad umbellas saepe rubro quasi maculatus. *Stipulae* nullae.

UMBELLAE terminales, erectae, quinquefidiae, saepe sex vel septemfidae. *Pedunculi* subclavati, glabri, dichotomi. *Involucella* bina vel terna, opposita, sub singulum florem, ovalia, acuminata, vividissime coccinea..

FLORES solitarii, turbinati, flavescentes, rubicundi..

CALYX monophyllus; ventricosus, quinque-dentatus, persistens.

PETALA quinque, turbinata, crassa, truncata, divaricata, cum dentibus calycis alterna, margini ejus imposita, lutea, nectarifera, persistentia, mel pellucidum, dulcissimum finu foventia.

STAMINA quindecim ad viginti fertilia, plurima abortiva. *Filamenta* teretia, unarticulata, superne rubra. *Antherae* bilobae, flavae..

PISTILLUM. *Germen* pedicellatum, reflexum, subrotundum, trilobum, glabrum. *Styli* tres, reflexi, rubri. *Stigmata* simplicia. *Receptaculum* paleaceum, paleis ramosis.

CAPSULA glabra, viridis tricocca, trilocularis.

Obser. Speciosissima hujuscce generis planta, ornamentum insigne caldario praebet: sed adhuc rara et infrequens. Nec tamen difficillime propagatur, quippe femina ex insula Jamaicensi missa, tum etiam quae in Anglia maturuerint, laete germinant. Taleis multiplicari posse verisimile est.

HEDERA capitata.

PENTANDRIA Monogynia. Fl. pentapetali, superi.

CHAR. ESSENT. Petala 5, oblonga. Bacc 5-sperma, calyce cincta.

HEDERA foliis ellipticis integris, racemis compositis terminalibus, floribus sessilibus capitellatis.

Aralia capitata. Jacq. Stirp. Amer. 89, t. 61. Swartz. Prod. 55. Aiton. Hort. Kew. v. 1. 382.

Angl. Cluster-flowered Jvy.

In Martinicae sylvis legit Illustr. Jacquin. In Jamaica invenerunt Gul. Wrigbt, M. D. et Franciscus Masson. (Herb. Banks.) Apud Nobiliss. Marchionem de Rockingham, qui anno 1782. omnibus bonis flebilis occidit, jamdum ante annum 1777. dignit formosus fructu, sed unde delatus, non constat. In caldario Marchionissae primum in Europa anno 1787. et jam inde quotannis floruit, at semina nondum permaturuerunt. Taleis propagatnr. H.

CAULIS arboreus, cultus octopedalis, erectus, teres, determinate ramosus. *Cortex* fuscus, parum rimosus. *Rami* adscendentes, foliosi, apice floriferi.

FOLIA sparsa, in apicibus ramulorum confertiora, petiolata, patentissima, elliptica, acuminata, integerrima, margine undulata, glabra, subtrinervia, venosa, laete viridia. *Petioi* longitudine varii, teretusculi, laeves, basi amplicata subtriangulari ramis fortiter affixi. *Stipulae* nullae. *Gemmae* e squamis plurimis, subrotundis, magnis, glabris, flavescensibus, brevi deciduis, folii rudimento sacpe mucronatis, unde folia abortiva diceres.

RACEMUS terminalis, erectus, compositus, ramulis plerumque alternis, in capitula densa multiflora desinentibus. *Pedunculi communes* obsolete angulati, pallide virides, ferrugineo-pulverulentii; *partiales* teretes. Bractae solitariae ad basin peduncularum partialium, parvac, concavae, acutae, integerrimae, pulverulentae, FLORES in capitulis terminalibus, sessiles, numerosi, albi, exigui ut structura distillime cruenta; unusquisque flos insidet *involucello* proprio calyciformi, monophyllo, quinquefido, extus pulverulento, persistenti.

CALYX Germen cingens, minimus, quinquedentatus, pallide viridis, glaber, persistent.

PETALA quinque, margini calycis insidentia, ovata, acutiuscula, patentia, alba, decidua.

STAMINA. *Filamenta* quinque, dentibus calycis opposita, petalis alterna, longitudo corollae, patentia, albida. *Antherae* subrotundae, bilobae, flavae.

PISTILLUM. Germen inferum, calyce coronatum, subrotundum, glabrum. *Styli* breves, erecti, primo in unum corpus coaliti, mox quasi sponte sua dissident, et sese varie a tribus ad decem numerandas exhibent. *Stigmata* simplicia.

Bacc

Bacca subrotunda, glabra, fusca, loculamentis (monospermis nō fallor) quinque vel plurimis, sed fructum ex herbario Banksiano solummodo detractum, nec maturum adhuc vidi.

Observationes.

De hujusce stirpis genere haud levis est inter botanicos diffensio. Inventor ejus primarius cel. Jacquin jamdudum suspicatus est, eam ad *Hedera* pertinere; recentiores tamen inter Aralias retinuere. Hasce lites componere aggressurum decet differentiam solidam dignoscere inter duo haec genera. Procul dubio stylorum numerus nihil in hoc negotio proficiat. *ARALIA arborea* Linn. flore gaudet monogyno, mox polygyno, diffisis nempe post anthesin stylis, vix tamen ad basin usque, ut e speciminibus Linnaeanis patet. Sic se res habet omnino in nostra planta; et ambae habitu et structura tam exacte cum *Hedera Helice* convenient vulgari, ut hanc et illam in eodem genere militare mihi luce clarius sit. His etiam fociis *Sciadophyllum Brownei* (Hist. Jam. 190, t. 19. f. 1, 2.), *ARALIA Sciadophyllum* Swartz. Prod. 55. arbor a Linnaeo non descripta, sese adjungit. Anne Araliae Linnaeanae species aliae Hederis etiam consociandae sint, futura dijudicabit dies, scilicet cum flores fractusque in plantis viventibus, uti res postulat, investigare concessum fuerit. Hisce insuper, modo genera distincta esse probatum sit, detur nomen *Aralia*, uti antiquioribus.

WACHENDORFIA paniculata.

TRIANDRIA Monogynia.

CHAR. ESSENT. *Corolla* hexapetala, inaequalis, infera. *Capula* trilocularis.

WACHENDORFIA scapo polystachio, foliis plicatis.

W. paniculata. Linn. Sp. Pl. 59. Burm. Monogr. 4. f. 1.

Aiphodelus latifolius, floribus patulis, flavecentibus, rubicundis intus maculis notatis. Breyn. Prod. 3. 22. t. 9. f. 1.

Angl. Panicle Wachendorfia.

Ad Caput Bonae Spei, locis arenosis, legit Franciscus Masson, R. A. Salisbury.

Figura nostra ex hoto Domini Lee delineata est. 2.

PLANTA florens pedalis.

RADIX perennis, paululum repens; tuberculis oblongo-cylindricis, subverticalibus.

FOLIA radicalia, bifaria, sessilia, equitantia, verticalia, patentia, basi margine interiore dilatata, canaliculata, linear-lanceolata, acuta, integerrima, nervosa, pliata, glabra, laete viridia, *W. thyrsiflorae* simillima, sed triplo minora, post florescentiam decidua, nec nisi post aliquot menses renascentia, qua nota a *W. thyrsiflora* secundum Cl. Salisbury praecipue haec nostra distinguitur.

SCAPUS erectus, teres, folio unico vel altero parvo instructus, ramosus, multiflorus.

Pedunculi alterni, patentes, racemosi, 3-5 flori teretes, pubescentes. *Pedicelli* breves,

breves, pubescentes, secundi, erecti, uniflori. *Bracteae* solitariae ad basin peduncularum et pedicellarum, oblongae, acutae, membranaceae, extus pubescentes, cito marcescentes, superiores sensim minores.

CALYX nullus.

PETALA sex, parum inaequalia, obovata, acuta, patentia, flava. extus pubescens et rubicunda, quorum tria superiora magis approximata macula communis lunata purpurea vel viridescens versus basin notantur.

STAMINA. Filamenta longitudine corollae, teretiuscula, geniculata, adscendentia, glabra, flava. *Antherae* versatiles, pallide rubrae.

PISTILLUM. Germen superum, subrotundum, parvum: *Stylus* adscendens, longitudo staminum, superne ruber. *Stigma* depresso-peltatum, glabrum, parvum.

CAPSULA corolla marcida persistente vestita, trilocularis, trivalvis. *Semina* solitaria, subrotunda, scabra..

Observationes.

Wachendorfia paniculata, frigoris impatiens. raris apud nos floret, *W. thrysiflora* vero saepius.. Hac vel subdio semper foliosa luxuriat, illa etiam sub tegmine vitreo statim post floriferentiam folia demittit, nec nisi denum recedente hymene, nova audet protrudere.. Vernali tempore floribus speciosis sed inodoris superbit..

PORTLANDIA grandiflora:

PENTANDRIA Monogynia. Fl monopetalii, superi.

CHAR. ESSENT. *Corolla* clavato-infundibuliformis. *Antherae* longitudinales. *Capsula* pentagona, retusa, bilocularis, bivalvis, polysperma, coronata calycem pentaphyllo..

PORTLANDIA floribus pentandris, foliolis calycinis ovatis..

P. grandiflora. Linn. Sp. Pl. 244. Browne Jam. 164. t. II. Jacq. Stirp. Amer. 62. t. 44.? Gärtn. Sem. 153: t. 31. f. I. Aiton. Hort. Kew. v. I. 228.

Angl. Large-flowered Portlandia:

In locis rupestribus ad pedes montium Jamicce copiose invenit Browne. In hortis nostris infrequens est planta, quia aegre multiplicatur, nec nisi aefluario calidiori vigeat. Frequentius floruit apud Marchioniss. de Rockingham. H.

CAULIS fruticosus, erectiusculus, ramosus, nodosus. *Cortex* glaber, longitudinaliter rimosus. *Rami* oppositi, patuli, teretes, subsimplices, foliosi; *cortice glaberrimo*, viridi. *Gemmae* gummatae..

FOLIA opposita, patentia, lanceolato-elliptica, subacuminata, basi aequalia, integerrima, glaberrima, subtus pallidiora, venosa, venis intrinque eminentibus alternis. *Petioli* brevissimi, crassi, subtus gibbi, supra planiusculi, subalati. *Stipulae* intrafoliaceae, connatae, deltoideae, acutae, glaberrimae, pallidæ, arce ramo adpressæ..

FLORES axillares, subsolitarii, intrafistulacei, pedunculati, subnudantes, maximi, albi, speciosi, nocte imprimis fragrantes, ante explicationem flavescentes apice incarnati.

PEDUNCULI breviusculi, teretes, glabri.

BRACTEAE nullae.

CALYX omnino superus, pentaphyllus; foliolis ovatis, acuminatis, subrevolutis, basi carinatis, apicem versus rubicundis, persistentibus.

COROLLA monopetala, infundibuliformis. Tubus quinquangularis, angulis acutis pubescentibus, apice ventricosus. *Limbus* quinquefidus, subaequalis; *laciniæ* sub-deltoidæ, marginatae, patulae, demum revolutæ.

STAMINA. *Filamenta* quinque, germini imposita, declinata, filiformia, vix longitudine tubi, basi pubescentia. *Antheræa* longissimæ, lineares, verticales, rectæ.

PISTILLUM. *Germen* inferum, quinquangulare, glabrum. *Stylus* staminibus paulo longior, declinatus, spiraliter contortus; angulatus. *Stigma* mox trifidum, laciniis revolutis.

CAPSULA secundum Gaertnerum coriacea; bilocularis, bivalvis; dissepimento tenui, valvis contrario. *Semina* plurima, dissepimento affixa, elliptica, compressa, scabra.

Observationes.

Amicus noster Integerimus R. A. Salisbury hanc plantam genere omnino cum CATESBAEA convenire suspicatus est. Nec recusarem ego quoad florem; sed Fructus CATESBÆAE, bacca nempe unilocularis, longe obstat, modo hujus inventori et delineatori, haud sane primæ auctoritatis, fidendum sit. Videant autoptæ. Synonymon Jacquinii mihi dubium est ob foliorum basi inaequalitatem in ejusdem tabula, quam nunquam vidi in nostra planta, nec in aliis Portlandiae exemplaribus, quibus doctissimum Banksianum gaudet herbarium. Delenda sane observatio Linnaei in Mantissa, p. 45. ubi hac inaequalitate P. grandiflorum a P. hexandra distinguit. Haec enim tutius dignoscitur laciniis calycinis lanceolatis, pedunculis ternatis, foliis ovatis, floribus quam in nostra triplo minoribus (Herb. Banks. et Jacq. Am. t. 182. f. 20.), nec tantum floribus sexfidis hexandris, quibus aliquando variat planta nostra apud Marchionis de Rockingham et Duce de Northumbria.

Fasciculus II.

OXALIS *vericolor*.

DECANDRIA *Pentagynia*.

CHAR. GEN. *Calyx* pentaphyllus. *Petala* unguibus connexa. *Capsula* angulis delifcens, pentagona.

Sectio 3. *Foliis ternatis. Cauleſcentes.*

OXALIS caule erecto subsimplici, pedunculis unifloris, foliis ternatis confertis: foliis linearibus apice subtus callosis.

Oxalis

Oxalis versicolor. Linn. Sp. Pl. ed. 1. 434. ed. 2. 622. Thunb. Oxal. n. 19.

Ait. Hort. Kew. V. 2. 114. Curt. Mag. t. 155.

O. bulbosa, trifolia, foliis linearibus, obtusis; flore externe rubro, interne carneo.

Burm. Afr. 65. t. 27. f. 1. male.

Angl. Striped-flowered Wood Sorrel.

In collibus et campis infra montes ad Promontorium Bonae Speci copiose legerunt Cal.

Thunberg et Sparrmann. In Horti Chelleani hybernaculis abunde floret
hyeme. 24.

RADIX bulbosa, ovata, solida, intus alba, extus tunica multiplie, firma, fusca, glabra, arce vestita; basi radiculas plurimas, ramosissimas, tortuosas, tenuissimas exscens.

CAULIS ex singulo bulbo solitarius, e basi ejusdem intra tunicas enatus, erectus, spithameus, plerumque simplex, rarius ramulo uno alterove laterali in planta culta, teres; glabriusculus, subflexuosus; basi valde gracilis, albus; apice foliosus et multiflorus.

FOLIA terminalia, consertissima, longius petiolata, ternata, patentia; *foliola* sessilia, linearia, obtusa (vel potius anguste obcuneata), emarginata, integerrima; supra glabra; subtus subpilosa, parumque infra apicem glandulis duabus, prominentibus, fulvis notata. *Perioli* filiformes, superne parum complanati prope basin obsolete uniarticulati, subpubescentes. *Stipulae* nullae.

PEDUNCULI terminales inter folia, numerosi, erecti, simplices, uniflori, foliis parum longiores, prope basin, more petiolorum sed magis evidenter, uniarticulati, teretes, pallidi, leviter pubescentes, pilis horizontaliter patentibus. *Bracteae* parum ultra medium pedunculorum binae, suboppositae, pedunculo adpressiae, parvae, lanceolatae, acutae, rubrae, glabrae.

FLORES erecti, non nisi sub solis ictu expansi, inodori, formosi, caeteroquin clausi, at tum quoque pulcherrimi.

CALYCIS foliola aequalia, linear-lanceolata, obtusiuscula, pallide viridia, rubro marginata, extus pilosa, persistentia.

PETALA calyce quadruplo longiora, obovata, obtusa, basi libera, parum supra basin in tubum connata, dein separata, sibi sinistrorum incumbentia, alba, omnium concinna rubro marginata, basi flava.

STAMINA decem, quorum quinque longiora corolla duplo breviora, submonadelpha, albida. *Antherae* luteae, didymae. Adsumt etiam inter stamna breviora filamenta quinque brevissima, mutica, longioribus adnata.

PISTILLUM. Germen superum, parvum, pentagonum, seminum rudimentis extus prominentibus torulosum, glabrum, pellucidum. *Styli* quinque, erecti, longitudine staminum longiorum, albi, villosi. *Stigmata* penicilliformia, flava.

FRUCTUM maturum nondum apud nos perfecit.

JUSTICIA coccinea.

DIANDRIA Monogynia. Flores inferi, monopetali, irregulares.
Fructus capsulares.

CHAR. GEN. Corolla ringens. Capsula bilocularis, ungue elastico dissiliens.
Sectio I. Fruticose.

JUSTICIA fruticosa, corollis bilabiatis; labio superiori indiviso, foliis bracteisque spiracum ellipticis acuminatis, antheris parallelis. Solander.

Justicia coccinea. Aublet Guian. V. I. 10. t. 3. Ait. Hort. Kew. V. I. 26.
Angl. Scarlet-flowered Justicia.

In Cayenna insula ad ripas rivulorum, mensibus Octobri, Novembris, et Decembri florarent invenit Aublet. In caldario Marchionissae de Rockingham aestivo tempore vidi mus. H.

CAULIS sexpedalis, fruticosus, erectiusculus, teres, ramosus, cortice laevi, fusco, longitudinaliter rimosus. Rami errecti, foliosi, ad foliorum insertionem incrassati; juniores obsolete quadranguli, glabri.

FOLIA apicem versus ramolorum, opposita, petiolata, patenti-deflexa, elliptico-lanceolata, acuminata, integra, repanda, venosa, venis alternis, obscure viridia, glabra. Petioli breves, teretiusculi. Stipulae nullae.

SPICAE terminales, subsolitariae, erectae, simplices, densae, multiflorae, ramulis ex crescentibus tandem laterales videntur. Pedunculus communis ramulo conformis, teretiusculus. Bracteae majorae subalternae, foliorum figura, sed longe minores, adscendentiae, leviter pubescentes, sub singulo flore unica, minores binae supra majorem, minutae, lineares, acutae, in parte spicae superiori obsoletae.

FLOS sessilis inter omne par bractearum minorum, erectus, magnus, speciosus, coccineus, marcescens helvolus.

CALYX parvus, quinquefidus; laciniis acutis, inflexis, subpubescentibus.

COROLLA sesquiuncialis, tubulosa, ringens, incurva, angulosa; angulis leviter pubescentibus; limbo quadrifido; lacinia ^{suprema} latiori, apice recurva, emarginata; ^{inferioribus} tribus aequalibus, linearis-oblongis, obtusis, integris, dependentibus.

STAMINA. Filamenta duo, basi corollae, e parte antica, inserta, limbo vix aequantia, parum incurva, simplicia, linearis, angulosa, pubescentia, helvola. Antherae lineares, obtuse, basi bilobae, incumbentes, helvolae.

PISTILLUM. Germen superum, receptaculo albido, carnosus insidens, ovatum, compressum, lateribus sulcatum, viride, glaberrimum. Stylus staminibus paulo longior, filiformis. Stigma minutum, bisidum.

Observationes.

Spectabilis haec Justiciae species ex India occidentali delata, omnes alias, cultas fatem, magnitudine superat, et in caldario fere arborescit, flores vero speciosos

L

fusos

fuos rarius, nec nisi adulta profert. Taleis non difficile propagatur. Folia trita odorem herbaceum, Trifoliorum quorundam haud absimilem spirant. Flores inodori sunt.

SISYRINCHIUM striatum.

MONADELPHIA Triandra.

CHAR. GEN. Monogyna. *Spatha* diphylla. *Petala* sex, plana. *Capsula* trilocularis, infera. *Stigmata* tria.

SISYRINCHIUM foliis ensiformibus, caule ancipiti ramosissimo multifloro, floribus spatham excedentibus.

Angl. Yellow striped Sisyrinchium.

Habitat Ex Italia misit vir generosus P. Stephens ad D. Forsyth, qui speciem nobiscum communicavit. Sub dio apud nos vigeat et abunde floret. 24.

RADIX tuberosa, caespitosa, perennis.

CAULIS bipedalis, erectus, anceps, glaber, ramosissimus, foliosus, multiflorus.

FOLIA ensiformia, acuta, integrerrima, obsolete nervosa, glaucescentia, glabra, margine submembranacea; radicalia equitantia; caulina alterna, amplexicaulia. Stipulae nullae.

FLORES in capitulis terminalibus lateralibusque, numerosissimi sed ephemeri, fere inodori, pallide lutei, purpureo striati, extus saturatores, parum nutantes.

SPATHAE in hac specie potius monophyllae, concavae, carinatae, acutae, nervosae, margine membranaceae; quarum exterior maxima, floribus tamen brevior, alias cum capitulo florum amplectens; interiores longe minores, singulæ sub singulo flore.

PEDICELLI longitudine fere spathae exterioris, triangulares, uniflori.

PETALA obovata, obtusa cum mucrone, basi leviter connexa, intusque maculata, concaviuscula; limbo patentia; tria interiora paulo minora.

STAMINA. Filamenta corolla breviora, in tubum cylindricum ultra medietatem coailita, superne patentia, glabra. Anterae versatiles, parvae.

PISTILLUM. Germen inferum, subrotundum, glabrum, viride. Stylus longitudine staminum, superne trifidus. Stigmata emarginata.

CAPSULA subrotundo-tricocca, valvulis dorso carinatis.

Observationes.

Hoc genus ad Monadelphiam cum Cl. Schrebero reducere vix dubitamus; utinam de charactere ejus atque limitibus minus incerti foremus. Accuratisimus R. A. Salisbury cum hoc conjungit Ferrariam et Moraeam, quarum prior discrepat stylo apice sexfido, posterior staminibus distinctis, modo haec sufficient. In ordine tam naturali difficillimi sunt inventi characteres generici stabiles, nec nova quadam allata specie, lubrici.

TRA.

TRADESCANTIA *discolor*.

HEXANDRIA *Monogynia*. *Fl. calyculati*.

CHAR. GEN. *Calyx* triphyllus. *Petala* tria. *Filamenta* villis articulatis.
Capsula trilocularis.

TRADESCANTIA acaulis laevis, bracteis equitantibus compressis, foliis lanceolatis subtus coloratis.

T. *discolor*. L'Herit. Sert. Angl. 8. tab. 12. Aiton. Hort. Kew. V. 1. 403.

T. Spathacea. Swartz. Prod. Fl. Ind. Occ. 57.

Angl. Purple-leaved Spider-wort.

In Jamica cultam vidit Franciscus Masson, nave quadam ex Americae meridionalis littore illo, qui Moschito Shore nuncupatur, delatam; binc, monente eodem egregio viro, a botanicis Anglicis avide quaesita est, et curis clariss. Wallent Europaeos tandem ditavit hortos. 24.

RADIX perennis, carnosa, verticalis, nodosa. *Radiculae* verticillatae, subsimplices, filiformes, villosae. *Caudex* supra terram subcaulescens, viridis.

FOLIA radicalia, numerosa, equitantia, patentia, pedalia, lanceolata, acutiuscula, integerrima, carnosa, subbenervia, utrinque glabra, basi ad marginem subpubescens, supra viridia, infra margineque laete purpurea, juniora subcanaliculata. *Stipulae* nullae.

SCAPI axillares, foliis quadruplo breviores, solitarii, erecti, simplices, rarius bifidi, compressiusculi, glabri, albidi. *Bracteae exteriore*s spathaceae, obsoletè nervosae, purpurascentes, glabrae, intus nitidae; quarum *inferiores* minores, tenuiores, vaginantes, alternae; *supremae* binae, vix plures, maximae, navicularis, basi subcordatae, acutae, equitantes: *interiores* squamaceae, membranaceae, albae, pellucidae, exterioribus triplo breviores.

FLORES numerosi, inter bracteas exteriore supras, easque vix superantes, bracteis interioribus fasciculatim obvallati, pedicellati, albi, ephemeri, inodori. *Pedicelli* simplices, uniflori, teretiusculi, superne parum incrassati, albidi, apice subinde virescentes, glabri, nitidi, post anthesin incurvi.

CALYX triphyllus, corollaceus, albidus, pellucidus, glaber; laciinis aequalibus, ovatis, obtusis, concavis, patentibus.

PETALA tria, calyce parum longiora, laciinisque ejus alterna, patentia, aequalia, lato-ovata, obtusa, margine repanda, alba, cito marcescentia, et dein involuta.

STAMINA. *Filamenta* sex, longitudine corollae, subaequalia, erectiuscula, filiformia alba, parum supra basin vestita pilis numerosis, tenuissimis, albis, pellucidis, Confervae instar pulcherrime articulatis, erecto-patentibus, ipso stamine paulo brevioribus. *Antherae* cuneiformes, verticales, luteae, glabrae, apice integrae, marginibus polliniferis, fulvis.

PISTILLUM. *Germen* superum, subrotundum, trigonum, glabrum, album. *Stylus*

erectus, longitudine staminum, simplex, teres, glaber, albus. *Stigma* parvum, obtusum, scabrum.

CAPSULA trilocularis, trivalvis, vix magnitudine pisi, rubicunda, glabra. **Semina** solitaria, subreniformia.

Observationes.

In caldario colitur, stoloniibus Seminibusque abunde multiplicatur formosa planta, olim desideratissima, prout rarissima, hodie in hortis Angliae etiam trita, est quasi „Crambe decies repetita.“ Apud amiciss. *Salisbury* eximie luxuriantem vidi.

LIGUSTICUM cornubiense.

PENTANDRIA Digynia. Umbellatae.

CHAR. GEN. *Fructus* oblongus, quinque-falcatus utrinque. *Corollar* aequales; *Petalis* involutis, integris.

LIGUSTICUM foliis radicalibus decompositis incisis: caulinis ternatis lanceolatis integrerrimis, seminum fulcis obsoletis.

Ligusticum cornubiense. Linn. Sp. Pl. 359. Huds. Fl. Engl. 118. With. Bot. Arr. 289.

Smyrnium tenuisolium nostras. Raii Syn. 209. t. 8.

Cornwall *Saxifraga*. Petiv. Herb. Brit. t. 26. f. 9.

Angl. Cornish Lovage.

Habitat in Cornubia Angliae in dumetis et ad sepes. Plantam rariissimam, nunquam post Buddlei tempus lectam, tandem anno 1788. reperit D. Pennington. Specimen mecum benevolè communicavit vir generosus atque amicissimus Thomas Gery Cul-lum Baronettus, a se ipso anno 1789. prope Bodmin Cornubiae lectum. Hinc et operi speciminis vivi ex horto Musei Britanici, ab amiciss. Dickson communicati, figuram meam conficiendam curavi. 2.

RADIX perennis, fusiformis, superne attenuata, perpendiculariter in terram descendens, longissima; fibris paucis, elongatis, terminalibus.

CAULIS bi- vel tripedalis, erectus, ramosus, multiflorus, teres, striatus, scabriuscens, basi purpurascens, annuus.

FOLIA radicalia petiolata, erecto-patentia, biternata, latiora quam longa; foliolis oppositis petiolatis, varie profundeque incisis, nervosis, reticulato-venosis; lacinias subalternis, acutis; decurrentibus, integerrimis, margine nervisque utrinque scabris. *Petio* teretiusculi, striati, scabri, superne canaliculati, basi dilatati atque submembranacei. *Caulina* solitaria ad omnem caulis divisionem, parva, ternata; foliolis sessilibus, lanceolatis, acutis, vix lobatis; petiolo dilatato, submembranaceo, concavo, striato, semiamplexicauli. *Suprema* obsoleta, et e petiolo membranaceo aphylo tantum constantia.

UMBEL-

UMBELLAE terminales, erectae, compositae, multiflorae. *Involucra* e foliolis 6 ad 8 lanceolatis, acutis, integris, nervosis, patentibus, umbella longe brevioribus, persistentibus. *Involucella* involucris simillima, parum minora. *Radii* atque *radioli* graciles, teretes, striati, laeves.

FLORES albi, aequales, hermaphroditi omnes.

CALYX superus, pentaphyllus, parvus. *Foliolis* subrotundis, obtusis, concavis.

PETALA calyce quintuplo majora, oblonga, acuta, involuta, dorso profunde canaliculata, aequalia.

STAMINA longitudine petalorum, patentia. Filamenta simplicia, subulata. *Antherae* subrotundae, didymae, flavescentes.

PISTILLUM. Germen compresso-subrotundum, didymum, glabrum, costis elevatis quinque utrinque, sulcis intermediis latitudine fere aequalibus. *Styli* duo, statimibus duplo breviores; basi connati, incrassati; superne divaricati. *Stigmata* simplicia.

FRUCTUS didymus, e seminibus duobus, ovatis, glabris, intus planis, extus lineis quinque, parum elevatis, notatis.

Observationes.

Planta haec tam rara atque incognita est, ut fere nulla alia Europaea. Nullibi enim vero, nisi in Cornubia, unquam inventa est; ubi etiam per seculi dimidium botanicorum oculos Anglicorum, avide licet inquirentium, fecerit, donec tandem felicior D. Pennington in lucem produxit. Nec rara tamen in patria sua enascitur, neque difficilis inventu, quibus locum natalem adire contigit. Cum nulla hujus stirpis existet repraesentatio, nisi parva ista Petiveriana, ut et incompleta, ne dicam erronea, Dillenii; figuram nostram, quamvis ex aspetto plantae minus formosam, botanicis curiosis haud ingratam fore spero. Tabela enim Dilleniana (in Raii Synopsi) tali modo confusa est, ut folia caulinapro radicalibus facile desumi possint; hinc etiam erronea evasit differentia specifica Linnaei, qui plantam ex icone tantummodo descripti.

Radix succo resinoso flavo scatet.

HYDRANGEA hortensis.

D E C A N D R I A D i g y n i a.

CHAR. GEN. *Corolla* pentapetala. *Calyx* quinquefidus, superus. *Capsula* bilocularis, birostris, polyperma.

HYDRANGEA foliis ellipiticis ferratis glaberrimis, staminibus aequalibus.

Hortensis. Juss. Gen. 214.

Viburnum ferratum. Thunb. Jap. 124.?

Primula mutabilis. Loureir. Cochinch. 103. Descriptio bona, at nomen vere ineptum.

Sijo.

Sijo. Kaempf. Exot. 854. Ex auctoritate iconis Kaempferiana in Museo Britanico.

L'Obier de la Chine à fleurs incarnates. Buchoz, Plantes de la Chine, t. 45.
Angl. Chinese Guilder-Rose.

E Chinæ et Japoniac hortis, ubi frequentius colitur, in horto regio Kewensi, curis Illustr. Banksii, anno 1790. recepta est. Ex horto Nob. Vicecomitissae de Cremorne rariissimam p'antam accepi. Locus ejus natalis nobis plane latet. ḥ.

FRUTEX habitu Viburni vel Sambuci, ob flores ejus elegantissimos, copiosissimos, more Viburni Opuli plenos, in deliciis anthophilorum habetur; cum itaque hanc varietatem tantum vidimus, hujus descriptionem, donec flores in forma sua naturali melior dies nobis offerat, hic licet exponere.

RADIX fibrosa, ramosissima, albida.

CAULES plurimi, confertim nascentes, erecti, fruticosi, ramosi, teretes, cortice fusco, glabro. Ramuli brachiati, teretes foliosi, glabri, virides, maculis atropurpureis sparsi, apice floriferi.

FOLIA opposita, petiolata, patenti-recurva, elliptica, obtuse acuminata, ferrata, basi integra, laete viridia, subtus pallida, utrinque glaberrima, venosa, decidua? Petiolæ breves, crassi, glabri, pallidi, supra canaliculati. Stipulae nullæ.

CYMAE terminales, magnitudine et figura Viburni Opuli flore globoſo, similiterque e floribus radiatis abortivis omnino fere compositæ, pulcherrime roseæ, inodoræ, ante maturitatem, ut et dum marcescunt, virescentes. Pedunculi varie subdivisi, glabri, subinde hirti. Pedicelli saturatius rosei, teretiusculi. Bractæ nullæ, nisi folia diminuta, pauca, circa basin cymæ.

CALYX monſtrosus, maximus, e quatuor (rarius tribus vel quinque) foliolis patentibus, inaequalibus, obovatis, integris, glabris, roseis, obfolete nervosis, persistentibus, constans.

PETALA plerumque quatuor, subaequalia, parva, obovata, concava, rosea, marcescentia.

STAMINA. Filamenta octo, subinde 6 vel 10, longitudine corollæ, aequalia, patentia, subulata, rubra. Anterne didymæ, griseac, polline luteo.

PISTILLUM. Germen nullum. Styli duo vel tres (rarius solitarii) mamillares, conniventæ, purpurei, staminibus duplo breviores. Stigmata obtusa.

Observationes.

Ad Cymæ divaricationes subinde inveniuntur flores aliquot magis perfecti, quinquesidi, calyce parvo quinquedentato, stylis tribus, divaricatis, germine infero triloculari, gaudentes; hi vero immaturi marcescunt, nec structuram fructus clare nobis exhibent. De genere itaque minus certi sumus. Si fructus capsula polysperma sit, ad Hydrangeam bene retulerimus; si contra bacca in statu maturo monosperma, ad Viburnum amandanda erit; neque quin huic vel illi propria

pria sit, pace Commersonii et Jussieui, nobis verisimile videtur. Hydrangeam potius, ignoto fructu, judicamus, 1) ob staminia petalis duplo numerofiora, neque numero aequalia; 2) ob habitum HYDRANGEAE arborecenti Linn. simillimum; 3) ob summam affinitatem cum HYDRANGEA radiata Walt. Fl. Carol. cuius flores quinquefidi decandri, atque trigyni, saepissime radiati, quadrifidi, octandri, germine orbati fiunt, stylisque abortivis, ut omnino in nostra planta. Characteres igitur harum specierum praestat dare.

- 1) HYDRANGEA (*arborecens*) foliis ovatis glabris, staminibus alternis longioribus. H. arborescens. Linn. Sp. Pl. 568. Mill. Ic. 251. *peffima*, Ait. Hort. Kew. V. 2. 76.

Habitat in Virginia, Canada. ♂.

- 2) HYDRANGEA (*radiata*) foliis lobatis subtus tomentosis.

H. radiata. Walt. Fl. Carol. 251.

Habitat in Carolina, Walter; in Florida, Bartram. ♂.

Brevem descriptionem dedit optimus defunctus Walter, sed bene monuit, capsulam hujusce generis nullo modo circumscissam esse, ut, nescio qua ratione, voluit Linnaeus in expositionibus generum plantarum, Mant. 141.

- 3) HYDRANGEA (*bortensis*). Vide supra.

F a s c i c u l ú s III.

1793.

PELARGONIUM *critmifolium*.

M O N A D E L P H I A *Heptandra*.

CHAR. GEN. Calyx quinquepartitus: lacinia suprema basi desinente in tubum nectariferum, pedicello adnatum. Corolla pentapetala, irregularis. Filamenta decem, inaequalia; quorum 3 (raro 5) castrata. Fructus pentacoccus, rostratus: Rostra spiralia, introrsum barbata.

Sectio 4. *Fruticosa, caule carnosu aut crasso.*

PELARGONIUM umbellis multifloris paniculatis, foliis bipinnatis carnosis apice dilatatis incisis; petalis obtusis, superioribus basi crispis.

Angl. Samphire-leaved Cranesbill.

Habitat ad Promontorium Bonae Spei. Apud Nobiliss. Marchionissam de Rockingham floruit mense Aprili 1792. Semina, a celeberrimo nautico D. Riou advecta, dedit D. Spragg. — ♂.

RADIX ... perennis.

CAULIS pedalis vel bipedalis, erectiusculus, fruticosus, simplex, valde carnosus, gibbosus, teres, glaucus, glaber, foliosus, apice florifer.

FOLIA sparsa, patentissima, carnofa, glauca, glabra, bipinnata; petiolis teretibus, folio-

foliolis alternis, cuneiformibus, irregulariter incisis atque apice dentatis, dentibus acutis. *Stipulae* binae, parvae, acutae, membranaceae, fuscae.

PANICULAE solitariae vel plures in apice caulis, alternatim supradecompositae, in umbellas desinentes 3 vel 5 florae, numerosae. *Pedunculi* atque *pedicelli* teretes, sub-carnosi, levissime pubescentes. Bracteae ad omnem paniculae divaricationem solitariae vel geminae, parvae, ovatae, acutae, concavae, membranaceae, fuscae. *Involucra* ad basin singulae umbellae subquina, bracteis conformia, sed minus acuta, et margine ciliata, reflexa.

FLORES numerosissimi, inodori, minus fastuosí, nec inelegantes.

CALYCIS foliola obtusiuscula, margine membranacea, apiceque subvillosa, medio refracta; quorum supremum, parum latius, in tubum nectariferum desinit suis longitudinis, pedicelloque unciali, cui adnatus est, quintuplo circiter breviorum.

PETALA patentia, longitudine aequalia, alba; obovata; obtusa; quorum duo superiora basi utrinque crispa sunt, atque purpureo-maculata.

STAMINA. *Filamenta* decem, quorum quinque duplo breviora, antleris orbata; quinque fertilia, vix longitudine petalorum, declinata, supremum caeteris paulo brevius. *Antherae* magnae, incumbentes, miniatae.

PISTILLUM. Germen subrotundum, parvum, quinquesulcatum, dense villosum. *Style* rectus, vix longitudine staminum fertiliū, parte inferiori dense villosus, superiori glaberrimus. *Stigmata* quinque, obtusiuscula, rubra.

FRUCTUM ... necdum vidi.

Observationes.

Affinis *P. ceratophyllum*, Ait. Hort. Kew. V. 2. 422. L'Herit. Geraniol. tab. 13. ; distinctissima tamen mihi proculdubio videtur foliorum lacinias dilatatis, acuminatis, nec obtusis; at praecipue petalis superioribus margine utrinque ad basin crispato-undulatis, omnibusque obtusis; ne dicam umbellis paniculatis nec solitariis.

EPIDENDRUM tripterum.

G Y N A. N D R I A D i a n d r i a .

CHAR. GEN. Nectarium turbinatum, obliquum, reflexum. Corolla patens. Cornu nullum. Swartz in epist. Octob. 1792.

Sectio 5. Foliis bulbis innatis.

EPIDENDRUM foliis bulbo innatis radicalibusque ensiformibus, scapis radicalibus vaginatis multifloris, germine trialato, labio petalis aequali.

Angl. Triangular-fruited Epidendrum.

Habitat in Jamaica. In horto Honorab. Dominæ Barrington floruit, mense Febr: 1793. 2.

RADIX

RADIX e fibris paucis, crassis, carnosis, subtomentosis, longis, subsimplicibus. *Bulbi* supra terram, numerosi, ovati, subcompressi, glabri, virides, glaucescentes, unciales.

FOLIA vaginantia, erecto-patentia, ensiformia, acuta, integerrima, nervosa, glaberrima, subtus pallidiora; quorum plurima e gemmis prodeunt radicalibus, squamis oblongis, concavis, acutis vaginata; pauciora ex apicibus bulborum.

SCAPI radicales, bulbis triplo altiores, erecti; basi squamis minoribus, concavis, obtusiusculis, rubicundis, bifariam imbricatis, dense vaginati; superne teretiusculi, racemosi, multiflori.

FLORES pedicellati, patentes, albi, inodori. *Pedicelli* angulati, germine breviores. *Bracteae* solitariae, linear-lanceolatae, acutae, membranaceae, floribus subaequales, marcescentes.

PETALA quinque, fere aequalia, parum patentia, ovata, obtusiuscula, concava, alba, semipellucida. *Nectarii labium* petalis aequale, concolor et fere conforme, nisi quod utrinque parum angulatum, et sursum subcompresso videtur.

COLUMNA GENITALIUM obtusissima, urceolata, apice eroso-dentata, operculo destituta. *Antherae* in summitate geminae, sessiles, parvae, luteolae. *Stigma* rima transversa, obsoleta, sub antheris. *Germen* oblongum, alis tribus membranaceis, cuspidatis, cum alulis duabus in singulo germinis latere intermediis.

Observationes.

Dum plantas rarissimas, praecipue Jamaicenses, in horto ditissimo Dominae Barrington apud Mongewell, anno 1791. versabam, hujuscē Epidendri bulbos, aphyllos omnino, coacervatim congestos, atque urnam totam occupantes, stupore summo inveni. Ni melius doctus fuisset, me catino prunis viridibus repleto incidisse, dixisset. Patronam nobilissimam iterum atque iterum obsecravi, ut dum mirifica haec planta floreret, mecum benebole communicaret. Nec recusavit illa, neque promissis non mansit; specimen enim mense Februarii prima vice florens, ad me Londini misit, mihiique dono dedit. Non prius videbam nisi specimen in spiritu vini conservatum, quod ex horto Kewensi, jam ante duos annos, acceperat Illustr. Banks.

EPIDENDRUM *Barringtoniae*.

GYNANDRIA *Diandra*.

CHAR. GEN. Nectarium turbinatum, obliquum, reflexum. *Corolla* patens.

Cornu nullum.

Sectio 5. *Floris bulbis innatis*.

EPIDENDRUM foliis lat-lanceolatis nervosis bulbo innatis, pedunculis radicalibus subunifloris, labio fimbriato, columna operculata.

Angl. Large-flowered Epidendrum.

M

Jamaic.

*Jamaicæ incola est. Ex Honorab. Dominae Barrington barto, qui plantis Jamai-
censibus rariissimis superbit, florentem recepi, mense Aprilis, anno 1791. In barto
Chelseano sequente vere floruit. 2.*

RADIX e fibris numerosis, ramosis, carnosis, fuscis, tomentosis, divaricatis. **Bulbi**
supra terram plures, magni, ovati, parum compressi, glabri, superficie inaequali
et subsulcati, virides.

FOLIA ex apice bulborum, tria vel quatuor, vaginantia, erecto-patentia, lato-lan-
ceolata, acuta, integerrima, nervosa, glabra, saturate viridia, minus rigida,
margine undulata.

SCAPI radicales, triunciales, erectiusculi, uniflori, rarius biflori, teretes, virides,
glabri; squamis tecti quatuor vel pluribus, vaginantibus, alternis, ovatis, con-
cavis, viridibus, ferrugineo-pulverulentis.

FLOS e squama suprema, parum nutans, magnitudine Limodori Tankervilleæ, ino-
dorus.

PETALA quinque, lanceolata, obtusa, subcarnosa, patentiuscula, virentia, apicem
versus olivaceo-ferruginca; quorum duo *interiora* parum minora, duo *infirma*
basi producta, atque connata in sacculuin obtusum. *Nectarii labium* e postica
parte sacculi interne enatum, sursum omnino liberum, petalis paulo brevius, su-
perne callo oblongo, antice obcordato, lutescente, porcato, tectum; margine
trilobum, lobis *lateralibus* parvis, acutis, integerrimis, erectis, tenuibus, hya-
linis; *terminali* maximo, ferrugineo, obtuso, superne concavo, subtus gibbo,
toto in ambitu pulcherrime fimbriato et pallido.

COLUMNA GENITALIUM alba, basi producta, sacculo corollæ postice, atque labio
nectarii antice ad basin adnata; apice incurva, obtusa; dorso obtuse carinata;
antice plana, obsolete bisulca. *Operculum* acutum, intus subtriloculare. *Stamina*
bina, rubra, approximata. *Antheræ* in singulo filamento binae, obovatae, lu-
teæ. *Stigma* magnum, valde excavatum. *Germen* sacculo corollæ paulo lon-
gius, viride, teretiusculum, sex-sulcatum.

Observationes.

Inter tot Epidendrorum species, in hortos nostros nuper introductas, haec magni-
tudine non minus quam aspectu singulari caeteris palmam praeripit. Miror ma-
xime hanc ut et præcedentem in Prodromo Clariß. Swartzii, qui Jamaicam
insulam oculis tam avidis nec minus acutis perlustravit, desiderari. Aliae for-
sitam, eaedemque numerosae, adhuc lateant, peregrinatorum indagationi quam
maxime commendandæ. Vix unicam hujusce generis speciem nisi exsiccatam
vidimus ante annum 1787. dum E. *coeruleatum* Linn. (Jacq. Ic. rar. Vol. 2.
fasc. 7.) in caldariis Kewensibus primum floruit; anno sequente, in eodem
horto ditissimo, E. *fragrans* Swartz Prod. 123. (E. *coeruleatum* Curt. Mag.
tab. 152. nequaquam Linnaei) mense Octobris flores suos elegantes et sua-
veolentes protulit. Nec rarum est hodie, plurimas species, vere vel autumno
in

in Anglia florentes, videre. In caldario coluntur summo calore. Cum sint omnes fere parásiticae, praefat fragmenta corticis arborum semiputridi ad radices congerere; inde saepius laete vigent.

PERGULARIA odoratissima.

PENTANDRIA Digynia. Fl. monopetal., inferi.

CHAR. GEN. Contorta. *Nectarium* ambiens genitalia cuspidibus quinque sagittatis. *Corolla* hypocrateriformis.

PERGULARIA foliis cordatis glabriusculis, nectariis genitalibusque tubo corollae brevioribus, stigmate conico obtuso.

P. tomentosa. Linn. Mant. 53. quoad descriptionem tantum.

Cynanchum odoratissimum. Loureir. Cochinch. 166.

Flos Siamicus. Rumph. Amb. V. 6. 58. t. 26. f. 1.

Angl. Chinese Creeper.

Patria stirpis incerta est; in China colitur, unde accepit Nob. Domina Hume, in cuius caldario florentem vidi, Augusto mense, anno 1791. 24.

RADIX ramosa, patentissima, albida.

CAULIS fruticosus, scandens, ramosus, teres; cortice cinereo, suberofo, longitudinaliter rimoso. *Rami* suboppositi, longissimi, viminei, subsimplices, teretes, fusi, pubescentes, foliosi.

FOLIA opposita, petiolata, patent-deflexa, cordata, acuminate, integerrima, concaviflora, opaca, venosa, venis margineque utrinque pubescens, subtus pallidiora. *Petioi* foliis quadruplo breviores, teretes, pubescentes, supra sulco exarati, basi utrinque apiceque glandulis duabus vel tribus acutis, apice fuscis, muniti. *Stipulae* nullae.

PANICULAE axillares, solitariae, longius pedunculatae, dichotomae, subcorymbosae, multiflorae, pubescentes. *Pedunculi* teretes; *pedicelli* subangulati. *Bracteae* solitariae ad omnem panniculae divisionem, lanceolatae, obtusae, apice dorsoque fuscae.

FLORES magnitudine Primulae vulgaris, flavescens-virides, odore citreo fragrantes imprimis vespere.

CALYX campanulatus, profunde quinquefidus, laciniis erectis, lanceolatis, acutis, venosis, leviter pubescens, minute ciliatis, apice fuscis.

COROLLA hypocrateriformis. *Tubus* calyce paulo longior, obsolete pubescens, linearis, cylindricus; basi inflatus, quinquegibbosus; fauce pervia, retrorsum valde hirsuta. *Limbus* patens, quinquefidus; laciniis longitudine tubi, oblongis, obtusis, glabris, ciliatis, obliquis, margine deflexis, subtus pallidioribus. *Nectarium externum* tubo duplo brevius, viride, e corpusculis quinque triangularibus, basi subsagittatis; dorso concavis, superne bicrenatis; intus carinatis; apice acuto, inflexo, attenuato, albo, conniventibus: *internum* paulo brevius, e laminis

quinque membranaceis, basi dilatatis; dorso excavatis; lateribus connatis; apice acuto, membranaceo, conniventibus; genitalia amplectentibus, intusque, apicem versus, cucullis duobus flavis, membranaceis, dorso connexis, antheras in situ naturali amplectentibus.

COLUMNA GENITALIAUM nectariis paulo brevior. *Germina* bina, supera, distincta, approximata, parva, ovata, glabra, viridia, basi glandulis pluribus, nectariferis? simplici serie circumdata. *Styli* duo, brevissimi, connati, villosi, apicc desinentes in corpus dense villosum, conicum, obtusum, nec truncatum, cuius lateribus insident *glandulae* quinque laminis nectarii alternae, fusco purpureae, utrinque antheriferae. *Antherae* duae in omni glandula, adscendentes, divaricatae, obovatae, pellucidae, flavae, polline vix conspicendo. *Stigmata* obsoleta.

Observationes.

Genitalia huic ordini naturali quam maxime obscura sunt structura. Planta haec, si qua alia, gynandra est, ut forsitan unnes, quae revera sunt *contortae*, quarum antherae, facie non minus quam substantia, cum antheris Orchidum, mirandum in modum, concordant. Dum clarius innotuerint, reformationem omnem, quoad classem vel ordinem, sciens praetermissi.

Est planta in hortis Indiae Orientalis ob odorem gratissimum culta, cui nomen apud incolas West Coast Creeper, huic simillima adeo ut vix varietas dici possit. Illa in hortum Kewensem, sub eodem tempore, quo haec, introducta est; nec differt nisi soliis parum rotundioribus, floribusque magis in fulvum vergentibus. Hujusc speciminibus in India enatis me ditavit amicissimus D. Roxburg, sub nomine *P. odoratissimae*, quod ille suae plantae dedit. Hoc ipse utrius varietati, jure coactus, restitui. Nomen inane *P. tomentosae* retineri nequit. Specimen in herbario Linnaei sic nominatum est revera nostra planta e China, unde ut videtur in hortum Upsaliensem illata est. Huc pertinet descriptio in Mantissa, ubi haud male folia *glabra* dicuntur. Differentia autem specifica, et locus natalis, longe diversam spectat stirpem, *ASCLEPIADEM cordatam* nempe *Forskallii* (Vahl. Symb. I, 23.), cuius folia omnium densissime tomentosa sunt (Herb. Banksi) et structura florum, ex descriptione *Forskallii* in Flora Aegypt. Arab. 49. omnino Asclepiadis.

CONVOLVULUS Speciosus.

PENTANDRIA *Monogynia*. *Fl. monopetali, inferi, angiospermi.*

CHAR. GEN. *Corolla* campanulata, plicata. *Stigmata* duo. *Capula* bilocularis; loculis dispermis.

Sectio I. Caule volubili.

CONVOLVULUS foliis cordatis subtus tomentoso-sericeis, pedunculis petiolo longioribus umbelliferis, calycibus acutis, caule volubili. *Dyandr.* in Ait. Hort. Kew. V. I, 211.

Con-

Convolvulus speciosus. Linn. Suppl. 137.

C. nervosus. Burm. Ind. 48. t. 20. f. 1.

Samudra stjogam. Hort. Mal. v. xi. 125. t. 61.

Habitat in India Orientali. In Insula Mauritii legit Commerson. E caldario Nobiliss. Vicecomitis de Lewisham, anno 1791. accepi. H.

Angl. Broad-leaved Bindweed.

RADIX lignosa, tortuosa, perennis.

CAULIS lignosus, fere arboreus, tortuosus, volubilis, altissime scandens, ramosus, teres, tomentosus, foliosus et multiflorus. *Rami* elongati, sericeo-tomentosi. *Cirri* nulli.

FOLIA alterna, petiolata, patentia, cordata, obtusa, mucronulata, integerrima, uninervia, venis numerosis, alternis, subparallelis; supra viridia, glaberrima; subtus omnium nitidissime atque densissime tomentoso-argentea. *Petiolae* teretiuseculi, sericei, vix longitudine foliorum. *Stipulae* nulla.

PEDUNCULI axillares, solitarii, simplices, teretes, pubescentes, longitudine foliorum, capitato-multiflori. *Involucrum* e foliolis pluribus, inaequalibus, subovatis, acuminatis, subimembranaceis, venosis; intus glabris, extus pubescentibus.

FLORES numerosi, subsefiles, magni, speciosi, sed inodori.

CALYX profunde quinquesfidus, intus glaber, extus pubescens; laciniis ovatis, acutiusculis, quorum tria exteriora majora.

COROLLA campanulato-infundibuliformis, calyce quadruplo longior, intus tota pulcherrime violacea, limbo pallidiori: tubus extus sericeo-albus, prope basin contractus, et saepe glabratus; medio ampliatus: limbus integer, extus pallide violaceus, glaber, plicis quinque, e tubo ortis, sericeo-albis.

STAMINA. *Filamenta* tubo corollae, qua constrictio fit, inserta, recta, filiformia, alba, basi parum barbata, tubo breviora. *Antherae* ovatae, basi bilobae, erectae, albae.

PISTILLUM. *Germen* subrotundum, glandulis cinctum. *Stylus* rectus, filiformis, longitudine staminum. *Stigma* parvum, bifidum, laciniis divaricatis, acutis.

EXACUM viscosum.

TETRANDRIA Monogynia. *Flores monopetalii, monocarpi, inferi.*

CHAR. GEN. *Calyx* tetraphyllus. *Corolla* hypocrateriformis, tubo ventricoso.

Capsula bisulca, bilocularis, polysperma, apice dehiscentia.

EXACUM foliis oblongis nervosis, amplexicaulibus, floribus quinquesidis, bracteis cordato-perfoliatis calyce longioribus.

Gentiana viscosa. Ait. Hort. Kew. V. 1. 321.

Angl. Clammy Gentianella.

In Insulis Canariensis invenit Cel. Franciscus Masson, Hort. Kew. Ex horto

D. Sikes apud Hackney, anno 1791. accepi. In bybernaculo viget, acstate florens. 2.

RADIX perennis.

CAU-

CAULIS fuscus, erectus, ramosus, teretiuseulus. Rami oppositi, erecti, obsolete quadranguli, virides, foliosi, multistiori.

FOLIA opposita; sessilia, amplexicaulia, lanceolato-oblonga, acuta, integerrima, tri- vel quinque-nervia, reticulato-venosa, utrinque viridia, glabra, basi cordato-dilatata. Stipulae nullae.

PANICULAE terminales, erectae, trichotomae, ramosissimae, multiflorae. Pedicelli teretiuseuli, graciles, uniflori. Bracteae binae ad omnem paniculae ramificationem, ut et sub singulo flore, structura soliorum, sed minores, atque cordatae, connato-persolitatae, nervosae, persistentes.

FLORES amoene aurei, inodori, parum nutantes, magnitudine Chlorae persoliatae.

CALYX bracteis triplo brevior, campanulatus, profunde quinquepartitus, viscosus; laciiniis erectis, obtusis, margine submembranaceis, glabris.

COROLLA hypocrateriformis: tubus calyce duplo longior, hyalinus, viscosissimus; basi ventricosus, tandem, increcente gerinane sarcus, ovatus; saepe contractus: limbus quinquesidus; laciiniis patentibus, longitudine tubi, obovatis, obtusis, subtus pallidioribus.

STAMINA quinque, exstantia, limbo duplo breviora. Filamenta saepe tubi inserta, ad superiorem partem floris inclinata, aequalia, albida, apice parum inflexa. Antherae oblongae, incumbentes, basi bifidae, intus longitudinaliter bivariamque dehiscentes, persistentes, nunquam spiraliter contortae, pallide flavae.

PISTILLUM. Germen ovale, bifidum, viride, laeve, biloculare, tubo duplo brevius. Stylus vix longitudine staminum, declinatus, teres, albidus, apice ascendens. Stigma capitatum, obsolete bilobum..

CAPSULAM nondum vidi, nisi immaturam:

Observationes:

Genera, quae ordinem naturalem GENTIANARUM Juss. Gen. 141. constituant, minus clare definiuntur apud auctores, nec facile definienda sunt, ob calycem corollamque numerumque partium omnium infidum et variabilem. Vix ergo, nisi e staminum vel pistilli structura, characteres eliminare fas sit. Non convenit, omnia ea genera hac vice tractare, pauca tamen de EXACO charaktere essentiali monenda duxi. EXACO propria sunt, 1) corolla hypocrateriformis; 2) stylus simplex, stigma capitato, obsolete bilobo; 3) antherae rectae, intus longitudinaliter dehiscentes. A GENTIANA differt itaque stylo non bifido; a SWERTIA defectu pororum melliferorum; a CHLORA stigma non quadriido, numeroque partium omnium longe diverso; a LISIANTHO stigma non bilamellato; a CHIRONIA antheris rectis, nec spiraliter contortis. Huc fortan pertinent plures CHIRONIAE Linnaeanae.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Smith Jacobo Eduardo

Artikel/Article: [Icones Pictae Plantarum rariorum, defcriptionibus et obfervationibus illuftratae 71-94](#)